

de homines quidem illi *subjectum Quod*, seu *denominationis*; Intellectus autem & Voluntas illorum *subjectum Quo s. inbasionis*, idque *primarium*, facultates reliquæ ipsamque corpus *subjectum secundarium* dici possunt. Ubi tamen simul observandum est, quomodo pro diversitate malorum, quæ prægustus ille damnationis involvit, aliqua positivam inhærentiam in subjecto importent; alia ad modum privationum ei tantum insint: quemadmodum ex superioribus constat.

§. LV. Denique etiam de *Causa Finali* ex dictis constat. Nempe ex parte *Dei* & respectu *sanorum hominum*, causa finalis proxima est exploratio fidei ipsorum, ejusdem confirmatio, & ipsorum renovatio; ultima est salus æterna eorundem. Hæc enim concipiuntur ut allicientia voluntatem Dei, ut propterea, atque ad hæc obtinenda, pios prægustare damnationem jubeat aut permittat. Respectu hominum hæctenus *improbiorum*, non tamen plane desertorum aut rejectorum, sed *sanabilium* & *sanandorum*, causa finalis proxima ex parte Dei est ipsorummet conversio, remotior salus æterna eorundem. Sed respectu hominum *reprobiorum*, quibus prægustus ille damnationis, ex intentione Dei judicis, vera inchoatio est damnationis mox secuturæ, causa finalis recte dicitur peccatorum vindicatio. Finis *simpliciter ultimus* itaque est sapientiæ, bonitatis ac justitiæ divinæ gloria.

§. LVI. Quemadmodum vero etiam *Satanam* prægustus damnationis causam efficientem certo modo esse ostendimus; ita causa *finalis* ex parte ejus est hominum perniciēs, Dei que contumelia. Propter hæc enim; ut obtinenda, agit Spiritus ad malum determinatus, quicquid hic agit.

§. LVII. His pertractatis, dabimus operam, ut præcepta vitæ Christianæ, quæ ex doctrina ista fluunt, paulo manifestius ac distinctius appareant. Nempe.

1. Datur prægustus damnationis æternæ. Caveamus ergo ab Epicuræorum & Atheorum errore, qui statum damnationis futuræ pro figmento habent.
2. Deus deducit in infernum, aut gustum ejus præbet. Itaque *metuamus eum, qui potest animam & corpus perdere in gehenna* Matth. X, 28.
3. Deus nonnunquam, bonitate sua paterna motus, malum istud gustandum præbet. Ne igitur Christiani perpetuam tranquillitatem & gaudia expectemus.

4. Imo